

IV. Karl IV. bestätigt dem Erzbischof Balduin von Trier seine Zölle an Rhein, Mosel und Saar.

1354 Jan. 8. — B.-Huber 1728 = 6743. — Orig. im Staatsarchiv Koblenz.

Karolus dei gracia Romanorum rex semper augustus et Boem(ie) rex universis et singulis suis et sacri imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Grata obsequia per venerabilem Baldewinum archiepiscopum Trev(er)en(sem), principem et patrum nostrum karissimum, nobis et dive memorie Henrico Roman(or)um imperatori augusto septimo, avo et predecessori nostro, necnon sacro imperio sepius sumptuose et utiliter prestita hoc exposcunt, ut ad ea, que dicto nostro patruo et ecclesie sue Trev(er)en(si) sunt accommoda, nostre maiestatis dexteram liberalius extendamus et ut ipsum nostrum patrum et ecclesiam suam pretactam pre ceteris specialibus favorum graciis prosequamur. Hiis igitur favorabiliter attentis predicto . . archiepiscopo suisque successoribus gracie concessimus et concedimus per presentes, ut super alveum Moselle in Confluencia et alibi, prout eis placuerit, duodecim grossos antiquos de qualibet carrata vini et aliis rebus et mercibus proporcionabiliter, prout fieri est consuetum, per ascensum et descensum eiusdem Moselle imperpetuum recipere valeant libere et levare. Insuper memorato . . archiepiscopo suisque successoribus archiepiscopis Treveren(sibus) thelonia super alveum Reni in Confluencia et Bopardia necnon thelonium super alveum Moselle in Cochme ac thelonium super Saram in Sarburg, prout hactenus in dictis locis sunt recepta, innovamus et ex certa nostra sciencia motu nostro proprio confirmamus. Indulgentes eisdem archiepiscopo et suis successoribus et cuilibet eorumdem, quod thelonia sua predicta coniu[n]ctim et divisim in dominio aut districtu suo, ubicumque voluerint, levare et recipere valeant pro ipsorum beneplacito voluntatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre concessionis, innovacionis, confirmacionis et indulgencie paginam infringere vel ei ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, preter indignacionem nostram et imperii, quam ipsum incurrere volumus ipso facto, penam quinquaginta librarum auri puri, quarum medietatem fisco, id est nostre regali camere, reliquam . . ar(chi)episcopo Trev(er)en(si) pro tempore existenti applicari volumus, se ipso facto noverit incurrisse. Presencium sub nostre maiestatis sigillo testimonio litterarum . . Datum Moguncie anno domini mil-